

Sed contra est quod dicitur I. Corinth. xv. 51. *Omnes quidem resurgemus... in momento, in ictu oculi. Ergo resurrectio erit subito.*

Præterea. Virtus infinita subito operatur. Sed, sicut Damascenus dicit de Fide orth. Lib. IV. cap. xviii. *Crede resurrectionem futuram divina virtute; de qua constat quod infinita est. Ergo resurrectio fiet subito.*

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod resurrectio non erit noctis tempore. Quia resurrectio non erit donec atteratur cælum, ut dicitur Job xiv. Sed cessante motu cœli, quod dicitur ejus attritio, non erit tempus, neque dies, neque nox. Ergo resurrectio non erit in nocte.

2. Præterea. Finis uniuscujusque rei debet esse perfectissimus. Sed tunc erit finis temporis: unde in Apoc. cap. x. dicitur quod tempus amplius non erit. Ergo tunc debet esse tempus in sui optima dispositione, & ita debet esse dies.

3. Præterea. Qualitas temporis debet respondere his quæ (1) geruntur in tempore. Unde Joannes xiv. fit mentio de nocte, quando Judas exivit à consortio lucis. Sed tunc erit perfecta manifestatio omnium quæ nunc latent: quia cum venerit Dominus, *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, ut dicitur I. Corinth. iv. 5. Ergo debet esse in die.

Sed contra. Resurrectio Christi est exemplar nostræ resurrectionis. Sed resurrectio Christi fuit in nocte, ut Gregorius dicit in hom. paschali, homil. xxi. in Evang. Ergo & nostra resurrectio nocturno tempore erit.

Præterea. Adventus Domini comparatur adventui furis in domum, ut patet Lucæ xxi. Sed fur in tempore noctis in domum venit. Ergo in tempore nocturno veniet. Sed veniente ipso fiet resurrectio, ut dictum est. Ergo resurrectio fiet tempore nocturno.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sicut Augustinus dicit in III. de Trinit. cap. iv. divina providentia statuit ut corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine regantur: & ideo tota materia corporum inferiorum subjacet variationi secundum motum cælestium corporum: unde esset contra ordinem quem divina providentia in rebus statuit, si materia inferiorum corporum ad statum incorruptionis perduceretur manente motu corporum superiorum. Et quia secundum positionem fidei resurrectio erit in vitam immortalem conformiter Christo, qui resurgens à mortuis, jam non moritur, ut dicitur Rom. vi. ideo humanorum corporum resurrectio usque ad finem mundi differretur, in quo motus cœli quiesceret. Et propter hoc etiam quidam Philosophi qui posuerunt motum cœli nunquam cessare, posuerunt reditum humanarum animarum ad corpora mortalia qualia nunc habemus, si ve ponerent reditum animæ ad idem corpus in fine magni anni, ut Empedocles, sive ad aliud, ut Pythagoras posuit quamlibet animam quodlibet corpus ingredi, ut dicitur in I. de Anima, text. lxi.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis caput magis conveniat cum membris convenientia proportionis, quæ exigitur ad hoc quod in membra fluat,

(1) *Al. generantur.* (2) *Al. testamento.* (3) *Al. testamentum.* (4) *Al. per totum.* (5) *Nicolai pro veritate.*

quam membra ad invicem; tamen caput habet causalitatem quandam super membra qua membra carent: & in hoc membra differunt à capite, & conveniunt ad invicem. Unde resurrectio Christi exemplum quoddam nostræ resurrectionis est, ex cuius fide spes nobis de nostra resurrectione consurgit; non autem resurrectio alicujus membri Christi est causa resurrectionis cæterorum membrorum: & ideo resurrectio Christi debuit præcedere resurrectionem aliorum, qui omnes simul resurgere debuerunt in consummatione sæculorum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis inter membra Christi sint quedam aliis digniora, & magis capiti conformia, non tamen pertingunt ad rationem capitis, ut sint causa aliorum: & ideo ex conformitate ad Christum non debetur eis quod eorum resurrectio præcedat resurrectionem aliorum, quasi exemplar exemplatum, sicut dictum est de resurrectione Christi. Sed quod aliquibus hoc sit concessum, quod eorum resurrectio non sit usque ad communem resurrectionem dilata, est ex speciali gratiæ privilegio, non ex debito conformitatis ad Christum.

Ad tertium dicendum, quod de illa resurrectione Sanctorum cum Christo videtur dubitare Hieronymus, alius Auditor, in sermone de assumptione, utrum scilicet peracto resurrectionis (2) testimonio iterum mortui sint, ut sic eorum magis fuerit suscitatio quedam, sicut fuit Lazari, quam vera resurrectio, qualis erit in fine mundi: an ad immortalē vitam vere resurrexerint, semper in corpore victuri, in cælum cum Christo ascendentes corporaliter, ut Glossa dicit Math. xxvii. Et hoc probabilius videtur: quia ad hoc quod verum testimonium de vera resurrectione Christi proferrent, congruum fuit quod vere resurgerent, sicut Hieronymus alibi super cap. xxvii. Matthæi, dicit. Nec eorum resurrectio propter ipsos accelerata est, sed propter resurrectionem Christi testificandam: quod quidem (3) testimonium erat ad fundandum fidem novi testamenti: unde decentius factum est per patres veteris testamenti quam per eos qui jam novo testamento fundato decesserunt. Tamen sciendum est, quod etsi de resurrectione eorum in Evangelio mentio fiat ante resurrectionem Christi, tamen, ut per textum patet, intelligendum est per anticipationem esse dictum, quod frequenter Historiographis accidit. Nullus enim vera resurrectione ante Christum resurrexit, eo quod ipse est primitiæ dormientium, ut dicitur I. Corinth. xv. quamvis aliqui fuerunt resuscitati ante Christi resurrectionem, ut de Lazaro patet Joan. xi.

Ad quartum dicendum, quod occasione illorum verborum, ut Augustinus narrat XX. Lib. de Civit. Dei cap. i. quidam hæretici posuerunt primam resurrectionem futuram esse mortuorum, ut cum Christo mille annis in terra regnarent: unde vocati sunt Chiliasæ, quasi millenarii: & Augustinus ibidem ostendit verba illa aliter esse intelligenda, scilicet de resurrectione spiritali, per quam homines à peccatis dono gratiæ resurgunt. Secunda autem resurrectio est corporum. Regnum autem Christi dicitur Ecclesia, in qua cum ipso non solum martyres, sed etiam alii electi regnant, ut à parte (4) totum intelligatur. Vel regnant cum Christo in gloria quantum ad omnes. Et fit specialiter mentio de martyribus, quia ipsi præcipue regnant mortui, qui usque ad mortem (5) secundum veritatem certaverunt. Millenarius autem

non significat aliquem certum numerum, sed designat totum temporis quod nunc agitur, in quo Sancti cum Christo regnant: qui numerus millenarius designat universitatem magis quam centenarius, eo quod I. centenarius est quadratum denarii, sed millenarius est numerus solidus ex duplici ductu denarii in seipsum surgens, quia (6) decies decem decies mille sunt: & similiter in Psalm. cii. 8. dicitur: *Verbi quod mandavit in mille generationes*, id est omnes.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod sicut dicit Augustinus in Lib. lxxxiii. Q. quæst. lviii. ætas ultima humani generis, quæ incipit à Domini adventu usque ad finem sæculi, in quibus generationibus computetur incertum est, sicut etiam senectus, quæ est ultima ætas hominis, non habet determinatum tempus secundum mensuram aliarum, cum quandoque sola tantum teneat temporis quantum reliquæ omnes ætates. Hujus autem ratio est, quia determinatus numerus futuri temporis sciri non potest nisi vel per revelationem, vel per naturalem rationem. Tempus autem quod erit usque ad resurrectionem, numerari non potest naturali ratione: quia simul erit resurrectio, & finis motus cœli, ut dictum est: ex motu autem accipitur numerus omnium, quæ determinato tempore per naturalem rationem futura prævidentur. Ex motu autem cœli non potest cognosci finis ejus, quia cum sit circularis, ex hoc ipso habet quod secundum naturam suam possit in perpetuum durare. Unde naturali ratione tempus quod erit usque ad resurrectionem, numerari non potest. Similiter nec per revelationem haberi potest, ideo ut omnes semper sint solliciti, & præparati ad Christum occurrendum: & propter hoc etiam Apostolis de hoc quærentibus respondit Act. i. 7. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*: in quo, ut Augustinus dicit XVIII. de Civitate Dei, cap. lxi. omnium de hac re (7) calculantium digitos resolvit, & quiescere jubet. Quod enim Apostolis quærentibus noluit indicare, nec aliis revelabit. Unde illi omnes qui tempus prædictum numerare voluerunt, hætenus falsiloqui sunt inventi. Quidam enim, ut Augustinus dixit ibidem, dixerunt ab ascensione Domini usque ad ultimum ejus adventum quadringentos annos posse compleri, alii quingentos, alii mille: quorum falsitas patet; & similiter patebit eorum qui adhuc computare non cessant.

Ad primum ergo dicendum, quod eorum quorum finis cognoscitur principio noto, oportet mensuram nobis esse cognitam: & ideo cognito principio alicujus rei, cujus duratio mensuratur motu cœli, postumus cognoscere ejus finem, eo quod motus cœli est nobis notus. Sed mensura durationis motus cœli est sola divina dispositio, quæ est nobis occulta: & ideo quantumcumque sciamus principium ejus, finem scire non possumus.

Ad secundum dicendum, quod per mille ducentos sexaginta dies, de quibus fit mentio Apoc. xii. significatur omne tempus in quo Ecclesia durat, & non aliquis determinatus numerus annorum: & hoc ideo, quia prædicatio Christi, super quam fundatur Ecclesia, duravit tribus annis cum dimidio; quod tempus vere continet æqualem numerum dierum numero prædicto. Similiter etiam numerus eorum qui in Daniele ponitur, non est referendus ad numerum in IV. Sent. Tom. V.

(6) *Al. decem dies.* (7) *Al. calcantium.*

rum annorum aliquorum qui sint usque ad finem mundi, vel usque ad prædicationem Antichristi; sed debet referri ad tempus quo prædicabit Antichristus, & quo persecutio ejus durabit.

Ad tertium dicendum, quod quamvis status novi testamenti in generali sit præfiguratus per statum veteris testamenti, non tamen oportet quod singula respondeant singulis, præcipue cum in Christo omnes figuræ veteris testamenti fuerint completæ: & ideo Augustinus XVIII. de Civit. Dei, cap. lxi. respondet quibusdam, qui volebant accipere numerum persecutionum quæ Ecclesia passa est, & passura secundum numerum plagarum Ægypti, dicens: *Ego per illas res gestas in Ægypto istas persecutiones prophetice significatas esse non arbitror; quamvis ab eis qui hoc putant, exquisite, & ingentose illa singula his singulis comparata videantur non prophetico spiritu, sed conjectura mentis humanæ, quæ al. quando ad verum pervenit, aliquando fallitur. Et similiter videtur esse de dictis Abbatis Joachim, qui per tales conjecturas de futuris aliqua vera prædixit, & in aliquibus deceptus fuit.*

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in resurrectione aliquid fiet ministerio Angelorum, & aliquid virtute divina immediate, ut dictum est. Illud ergo quod Angelorum ministerio fiet, non erit in instanti, si instans dicatur indivisibile temporis; erit tamen in instanti, si instans accipiatur per tempore imperceptibili. Illud autem quod fiet virtute divina immediate, fiet subito, scilicet in termino temporis quo Angelorum opus complebitur: quia virtus superior interiori ad perfectionem adducit.

Ad primum ergo dicendum, quod Ezechiel loquebatur populo rudi, sicut & Moyses: unde sicut Moyses distinxit opera sex dierum per dies, ut rudis populus capere posset, quamvis omnia simul facta secundum Augustinum super Gen. ad lit. cap. xiv. ita Ezechiel diversa quæ in resurrectione futura sunt expressit, quamvis omnia simul futura sint in instanti.

Ad secundum dicendum, quod quamvis illæ operationes sint consequentes se invicem natura, sunt tamen simul tempore: quia vel sunt in eodem instanti, vel una est in instanti ad quod alia terminatur.

Ad tertium dicendum, quod idem videtur esse de sono illo, & de formis sacramentorum, scilicet quod in ultimo instanti prolacionis effectum suum habebunt.

Ad quartum dicendum, quod congregatio cinerum, quæ sine motu locali esse non potest, fiet ministerio Angelorum: & ideo erit in tempore, sed imperceptibili propter facilitatem operandi quæ competit Angelis.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod determinata hora temporis qua fiet resurrectio, pro certo sciri non potest, ut patet in littera; tamen satis probabiliter dicitur à quibusdam, quod resurrectio erit quasi in crepusculo, sole existente in oriente, & luna in occidente: quia in tali dispositione sol, & luna creduntur creata, ut sic eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad eundem punctum: unde de Christo dicitur quod resurrexit tali hora.

Ad primum ergo dicendum, quod quando resurrexerunt

rectio erit, non erit tempus, sed finis temporis: quia in eodem instanti in quo cessabit motus cæli, erit resurrectio mortuorum: & tamen erit situs siderum secundum dispositionem qua se habet nunc in aliqua determinata hora; & secundum hoc dicitur resurrectio futura tali vel tali hora.

Ad secundum dicendum, quod optima dispositio temporis dicitur esse in meridie propter illuminationem solis. Sed tunc civitas Dei non egebit sole, neque luna: quia claritas Dei illuminabit eam, ut dicitur Apoc. xxi. & ideo quantum ad hoc non refert utrum in die, vel in nocte resurrectio fiat.

Ad tertium dicendum, quod tempori illi congruit manifestatio quantum ad ea quæ tunc gerentur, & occultatio quantum ad determinationem ipsius temporis: & ideo utrumque congrue fieri potest, ut scilicet resurrectio sit in die, vel in nocte.

ARTICULUS IV.

Utrum mors erit terminus à quo resurrectionis in omnibus.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod mors non erit terminus à quo resurrectionis in omnibus. Quia quidam non moriuntur, sed immortalitate supervestientur: dicitur enim in symbolo, quod ipse venturus est iudicare vivos, & mortuos. Hoc autem non potest intelligi quantum ad tempus iudicii, quia tunc erunt omnes vivi. Ergo oportet quod referatur hæc distinctio ad tempus præcedens; & ita non omnes ante iudicium moriuntur.

2. Præterea. Naturale, & commune desiderium non potest esse vacuum & inane quin in aliquibus expleatur. Sed secundum Apostolum II. Corinth. v. hoc est commune desiderium quo nolumus expoliari, sed supervestiri. Ergo aliqui erunt qui nunquam expoliabuntur corpore per mortem, sed supervestientur gloria resurrectionis.

3. Præterea. Augustinus in Enchir. cap. cv. dicit, quod quatuor ultimæ petitiones orationis dominicæ ad præsentem vitam pertinent; quarum una est: *Dimitte nobis debita nostra*. Ergo Ecclesiæ oratio non potest esse cassa, quin exaudiatur. Joan. xvi. 23. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Ergo Ecclesiæ in aliquo hujus vitæ tempore omnium debitorum remissionem consequetur. Sed unum de debitis quo pro peccato primi parentis astringimur, est quod (1) nascimur in originali peccato. Ergo aliquando hoc Ecclesiæ Deus præstabit, quod homines sine peccato originali nascentur. Sed mors est poena originalis peccati. Ergo aliqui homines erunt circa finem mundi qui non moriuntur; & sic idem quod prius.

4. Præterea. Via compendiosior est semper sapienti magis eligenda. Sed compendiosior via est quod homines qui vivi inveniuntur, in impassibilitatem resurrectionis transferantur, quam quod prius moriantur, & postea resurgant à morte in immortalitatem. Ergo Deus, qui est summe sapiens, hanc viam elegit in illis qui vivi inveniuntur; & sic idem quod prius.

Sed contra. I. Corinth. xv. 36. (2) *Semen quod seminatur, non vivificatur, nisi prius moriatur*: & loqui-

(1) *Al.* nascimur mortali peccato. (2) *Vulgata*: *Inspiciens, tu quod seminatur*.
Ex Edit. P. NICOL. (a) Sic manuscriptum ipsum, & omnia impressa in hoc loco, ubi etiam ad marginem indicabatur ut ex cap. iv. part. i. etsi nihil expresso ibi tale. In textu autem Supplementi notatur Hieronymus loco Dionysii, sed ad marginem indicatur ex Augustino Lib. XII. super Gen. ad litt. cap. xxxv. ut quæst. lxxviii. art. 3. videre est.

tur sub similitudine seminis de resurrectione corporum. Ergo corpora à morte resurgent.

Præterea. I. Corinth. xv. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*. Sed in Christo vivificabuntur. Ergo in Adam omnes moriuntur; & sic resurrectio omnium erit à morte.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod non omnium resurrectio erit à cineribus. Resurrectio enim Christi est exemplar nostræ resurrectionis. Sed resurrectio eius non fuit à cineribus: quia caro eius non vidit corruptionem, ut dicitur in Psalm. xv. & Act. 11. Ergo nec resurrectio omnium erit à cineribus.

2. Præterea. Corpus hominis non semper comburitur. Sed in cineres non potest aliquid resolvi nisi per combustionem. Ergo non omnes à cineribus resurgent.

3. Præterea. Corpus hominis mortui non statim post mortem in pulverem redigitur. Sed quidam statim post mortem resurgent, ut in littera dicitur, scilicet illi qui vivi inveniuntur. Ergo non omnes resurgent à cineribus.

4. Præterea. Terminus à quo respondet termino ad quem. Sed terminus ad quem resurrectionis non est idem in bonis & malis. I. Corinth. xv. 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Ergo nec est idem terminus à quo; & sic si mali resurgent à cineribus, boni à cineribus non resurgent.

Sed contra est quod Haymo dicit: *Omnes in originali peccato natos tenet hæc sententia: Terra es, & in terram ibis*. Sed omnes qui in communi resurrectione resurgent, fuerunt nati in originali peccato vel nati in utero, vel saltem nati in utero. Ergo omnes à cineribus resurgent.

Præterea. Multa sunt in corpore humano quæ non sunt de veritate naturæ humanæ. Sed omnia illa auferentur. Ergo oportet omnia corpora ad cineres resolvi.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod pulveres illi ex quibus corpus humanum reparabitur, habeant aliquam naturalem inclinationem ad animam quæ eis conjungitur. Si enim nullam inclinationem habent ad animam, eodem modo se habent ad illam animam sicut alii pulveres. Ergo non esset differentia unum ex illis, vel aliis pulveribus reficeretur corpus animæ conjungendum; quod est falsum.

2. Præterea. Major est dependentia corporis ad animam quam animæ ad corpus. Sed anima separata à corpore adhuc habet aliquam dependentiam ad corpus, unde retardatur ejus motus in Deum propter appetitum corporis, ut dicit Dionysius (a) de divin. Nomin. Ergo multo fortius corpus separatum ab anima adhuc habet naturalem inclinationem ad animam illam.

3. Præterea. Job xx. 11. dicitur: *Ossa ejus implebuntur vitis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient*. Sed vitia non sunt nisi in anima. Ergo adhuc in illis cineribus remanebit aliqua naturalis inclinatio ad animam.

Sed

QUÆSTIO I.

Sed contra. Corpus humanum potest resolvi ad ipsa elementa, vel etiam in carnes aliorum animalium converti. Sed elementa sunt homogenea, & similiter caro leonis, vel alterius animalis. Cum ergo in aliis partibus elementorum, vel animalium non sit aliqua inclinatio naturalis ad illam animam, nec in illis partibus in quas conversum est corpus humanum, erit aliqua inclinatio ad animam. Patet per auctoritatem Augustini in Ench. cap. lxxxviii. *Corpus humanum in quacumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque hominum, seu animalium cibum cedat, carnemque vertatur... illi animæ humanæ in puncto temporis cedet que illud prius, ut homo fieret, viveret, & cresceret, animavit*.

Præterea. Cuilibet inclinationi naturali respondet aliquod agens naturale; alias natura deficeret in necessariis. Sed nullo agente naturali possunt prædicti pulveres eidem animæ iterato conjungi. Ergo in eis non est aliqua naturalis inclinatio ad prædictam conjunctionem.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod super hac quæstione varie loquuntur Sancti, ut in littera patet; tamen hæc est securior, & communior opinio, quod omnes moriuntur, & à morte resurgent: & hoc propter tria. Et primo quia magis concordat divinæ justitiæ, quæ humanam naturam pro peccato primi parentis damnavit, ut omnes qui per actum naturæ ab eo originem ducerent, infectionem originalis peccati contraherent, & per consequens mortis debitores essent. Secundo, quia magis concordat divinæ Scripturæ, quæ omnium futuram resurrectionem prædicat: resurrectio autem proprie non est nisi ejus quod cecidit, & dissolutum est, ut Damasc. dicit de Fide orth. Lib. IV. c. xxviii. Tertio, quia magis concordat ordini naturæ, in quo invenimus quod illud quod corruptum, & vitiatum est, in suam novitatem non reducit nisi corruptione mediante; sicut acetum non fit vinum nisi aceto corrupto, & in humore vitis transeunte. Unde cum natura humana in defectum necessitatis moriendi devenit, non erit reditus ad immortalitatem nisi morte mediante. Convenit etiam ordini naturæ propter aliam rationem: quia ut in VIII. Physic. text. 1. dicitur, motus cæli est ut vita quædam natura existentibus omnibus, sicut etiam motus cordis totius corporis quædam vita est: unde sicut cessante motu cordis, omnia membra mortificantur; ita cessante motu cæli non potest aliquid vivum remanere in illa vita quæ ex influenza illius motus conservabatur. Talis autem est vita quam nunc degimus: unde oportet quod ex hac vita discedant qui post motum cæli quiescentem victuri sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod distinctio illa mortuorum, & vivorum non est referenda ad ipsum iudicii tempus, nec ad totum tempus præteritum: quia omnes iudicandi aliquo tempore fuerunt vivi, & aliquo tempore mortui: sed ad illud tempus determinatum quod immediate iudicium præcedet, quando scilicet iudicii signa incipient apparere.

Ad secundum dicendum, quod perfectum Sanctorum desiderium non potest esse vanum; sed nihil prohibet desiderium conditionatum eorum esse vanum: & tale est desiderium quo nolumus expoliari, sed supervestiri, scilicet si possibile sit: & hoc desiderium à quibusdam velleitas dicitur.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) *Al.* etiam. (2) *Vulgata*: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. (3) *Al.* etiam. (4) *Al.* etiam. (5) *Al.* etiam.

Ad tertium dicendum, quod hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine peccato originali concipiatur præter Christum: quia ille qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione quæ facta est per Christum; & sic Christus non esset omnium hominum redemptor. Nec potest dici, quod non hac redemptione indiguerunt, quia præstitum fuit eis ut sine peccato conciperentur: quia illa gratia facta est parentibus, ut in eis vitium naturæ sanaretur, quo manente, sine originali peccato generare non possent, vel ipsi naturæ quæ sanata est. Oportet autem ponere, quod quilibet personaliter redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturæ. Liberari autem à malo, vel à debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum dejectus fuit: & ita non possent omnes fructum dominicæ redemptionis in seipsis percipere, nisi omnes debitores nascerentur, & malo subjecti: unde dimissio debitorum, & liberatio à malo non potest intelligi, quod aliquis sine debito, vel immunis à malo nascatur, sed quia cum debito natus postea per gratiam Christi liberatur. Nec etiam sequitur, si potest sine errore poni, quod aliqui sine originali peccato nascantur, quamvis mors sit poena originalis peccati: quia Deus potest ex misericordia alicui relaxare poenam ad quam obligatur ex culpa præterita, sicut adulteram sine poena dimisit Joan. viii. & similiter poterit liberare à morte eos qui reatum mortis contraxerunt cum originali nascendo: & sic non sequitur: Si non moriuntur, ergo nascuntur sine originali.

Ad quartum dicendum, quod non semper via compendiosior est magis eligenda, sed solum quando est magis, vel æqualiter accommodata ad finem consequendum; & sic non est hic, ut ex dictis patet.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod eisdem rationibus quibus ostensum est omnes à morte resurgere, est etiam ostendendum quod omnes resurgent à cineribus in communi resurrectione, nisi aliquibus ex privilegio specialis gratiæ sit contrarium indultum, sicut & resurrectionis acceleratio. Scriptura autem sacra sicut resurrectionem præannuntiat, ita & reformationem corporum, Philip. 111. & ideo oportet quod sicut omnes moriuntur ad hoc quod omnes vere resurgere possint, ita omnium corpora dissolvantur ad hoc quod omnium corpora reformari possint: sicut (1) enim in poenam hominis mors à divina justitia est inflicta, ita & corporis resolutio, ut patet Genes. 111. 9. (2) *Terra es, & in terram ibis*. Similiter etiam ordo naturæ exigit ut non solum animæ & corporis conjunctio solvatur, sed etiam elementorum commixtio; sicut etiam acetum non potest in vini qualitatem reduci, nisi prius facta resolutione in materiam præjacentem: ipsa (3) enim elementorum commixtio ex motu cæli causatur, & conservatur, quo cessante, omnia mixta in pura elementa resolventur.

Ad primum ergo dicendum, quod resurrectio Christi exemplar est nostræ resurrectionis quoad terminum ad quem, non autem quoad terminum à quo.

Ad secundum dicendum, quod per cineres intelliguntur omnes reliquæ quæ remanent humano corpore resolutio, duplici ratione. Primo, quia mos erat apud antiquos corpora mortuorum comburere, & cineres conservare: unde inolevit modus loquendi, ut

Cc 2

ca